

IACOBVS VVIMPHELINGVS SELESTADIANVS.



**J**acobus ille natus est Selestadij anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Ibi à teneris annis in optimis literis à Ludouico Dringenbergio Vuestphalo educatus fuit. Postea sese Friburgum, atq; inde Basileam, Erdfordium, ac Heidelbergam ad Academias contulit, & omnibus ijs in locis magna diligentia literis incubuit. Factum itaq; ut in sacris literis, iure pontificio, philosophia, atq; humanioribus studijs adeò progressus fuerit, ut in omnibus scientijs illis doctissimus haberetur, atq; bonarum artium Doctor, & S. Theologiae Licentiatus crearetur.